

BERNARDI SERMONES.

(Vide Opera divi Bernardi, inter Patrologiæ tomos proxime edendos.)

ANNO DOMINI MC.

MANEGALDUS

NOTITIA HISTORICA ET LITTERARIA.

(FABRIC., *Biblioth. med et inf. Lat. IV, 12.*)

Manegaudus, Manegaldus, Manegoldus de quo Anonymus Mellicensis cap. 105. *Manegoldus presbyter, modernorum magister magistrorum, strenuus assertor veritatis fuit, a qua nec promissis nec minis schismatici regis flecti potuit. Quin imo in dissensione illa quæ inter Gregorium VII et Henricum IV exorta fuit, pro tuenda justitia laboravit usque ad vincula. Exstat ad eum scripta quædam exhortatoria Ivonis episcopi Carnotensis epistola (quadragesima inter Ivonianas). Hic textum Isaïæ prophetæ paginalibus clausulis distinxit. Super Matthæum vero glossas continuas scribit. Scribit quoque super Psalterium, opus præstantissimum, super topazium et aurum overyzum pretiosum. Hujus ut videtur opusculum pro Gregorio VII, sed jam defuncto, et post A. 1080, ante A. 1101, scriptum adversus Wolfelmarum Coloniensem edidit laudatissimus Muratorius tomo quarto Anecdotorum Latinorum, Patavii 1713, 4^o. Quæ autem contra Epistolam Wenerici scripturum se promittit, nusquam exstant. Haud dubie idem *Manegundus* est, quem Henricus Gandavensis cap. 28, ait ingenii sui monumenta in expositione Psalmorum et Epistolarum Pauli posteris reliquisse. Huic Manegoldo Teutoni tribui a nonnullis Commentarios in Psalmos, Coloniæ 1536, fol., editos, Miræus ex Joan. Molano adnotavit, quos tamen Remigii Antissiodorensis episcopi esse communis est persuasio. Verisimile etiam clarissimo Muratorio visum de eodem mentionem fieri in Ptolemæi Lucensis Annalibus ad. A. 1690: *Per idem tempus floruit in Teutonia quidam philosophus, cui nomen Manegaldus, cujus uxor et filia in philosophia fuerunt permaximæ.* Anonymus apud Andream du Chesne tom. IV, de rebus Francor., pag. 89: *Hoc tempore**

*tam in divina quam inhumana philosophia floruerunt Lanfrancus Cantuariorum episcopus, Guido Langobardus, Maingaudus Teutonicus, Bruno Remensis, qui postea vitam duxit eremiticam. Fuit hic magister Manegoldus de Luttenbach inter primos canonicos et præpositus canonicorum regularium Murba-censium in Alsatia, de quo Bertholdus Constantiensis in appendice ad Hermannum Contractum ad A. 1093 et 1098, et auctor incertus ad A. 1090, apud Urstium tom. II, pag. 85. Diversus adeo a duobus ejusdem temporis, Manegoldo abbate S. Georgii in Suevia, quem a monachis suis occisum (1) refert idem Bertholdus ad A. 1100, et a Manegoldo Raitenburchensi decano, cujus librum pro defensione Gregorii VII. compositum ipse adhuc vivente, tamen ab ipso non approbatum memorat Gerlachus præpositus Reichersbergensis apud clariss. Pezium tom. II Anecdotorum, parte II, pag. 491. Confer ejusdem prolegomena ad illum tomum pag. xxix seq. et Diarium eruditorum Italiæ tom. XV, pag. 32 seq. [Opusculum a Muratorio editum longe diversi est argumenti ac censuit hic Fabricius. Totus enim in eo est ut demonstret haud ita probanda esse veterum paganorum scripta ut omnia indiscriminatim admittantur, cum plura in eis esse evincat quæ dogmatibus fidei nostræ adversantur. Hæc contra Wolfelmum usque ad cap. 25 disputantur; tum vero duobus tantummodo capitibus de causa Gregorii VII agitur, quæ adjecisse se in præfatione operis auctor profitetur eo quod sciret Wolfelmum dominum papam Gregorium polluto ore lacerasse; ideo ait: *aliquid de illo adnectendum duxi.* MANSI.]*

1) Acta Sanctor. tom. III, Februar. pag. 52.

L. A. MURATORII

IN OPUSCULUM SUBSEQUENS ADMONITIO.

(Anecdota Latina. IV. 163. Patavii 1713.)

Ex codice ms. 305, lit. S. Ambrosianæ bibliothecæ descriptum est hoc opusculum. Ejus auctor nomine tantum ac magistrali munere mihi notus, cætera ignotus, de illo nihil afferentibus celebrioribus historiæ litterariæ scriptoribus. Neque porro mihi aut satis otii ut exquiram, aut satis librærum ut inveniam aliquam